



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Juris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Tit. VI. De Eucharistia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)

TIT. VI.

De Eucharistia.

Absoluta tertia specie Sacramentorum, de quarta nunc tractatur; & videbimus:

1. Quid sit Eucharistia Sacramentum?
2. Ex quibus constat?
3. Quis ipsum conficiat?
4. A quo exhibendum?
5. Quibus?
6. Qui sint effectus?

Quò ad Primum: Sacramentum Eucharistia pluribus significatur nominibus, quæ quid magnum insinuant, & fuit institutum in ultima Cæna Domini. *In Concil. Tridentin. sess. 13. cap. 1.* Et ibi vide per totam Sessionem de Excellentia hujus Sacramenti; & est Sacramentum quod constat visibili forma, veritate corporis, & virtute spirituali. Et formavibilis est Panis, & Vinum, quæ conficiuntur Corpus, & Sanguis Domini Nostri Jesu Christi. §. *Constat*, & §. *Veritas*, hic, cap. *Panis*, cap. *Ante*, cap. *Nos autem*, & plura alia capitula de *Consecrat. d. 2.* Et per *Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. & cap. 4.*

Quò ad Secundum. Ut dixi, constat hoc Sacramentum visibili forma, veritate Corporis, & virtute spirituali. Visibilis forma est panis, & vini commixti aqua. Veritas est Carnis, & Sanguinis. Sicut enim ante consecrationem panis est, & vinum, quod natura creavit; ita post consecrationem est vera Christi Caro, & Sanguis. *d. cap. 1. & 4. de Sacram. Eucharist. Sacram. sess. 13.*

Quò ad Tertium. Soli Sacerdotes hoc Sacramentum conficere possunt. §. *Sed nec*, hic, c. *Perlectis*, 25. d. Undè *Conc. Trid.* anathematizat eos, qui mentiuntur, omnes Christianos in Sacramentis ministrandis habere parem auctoritatem, *can. 10. in tit. de Sacram. in genere, sess. 7.* Quod verum est etiam si mali sint. Nam ex tunc conficiunt Corpus Domini, quando cum intentione consecrant, sed tamen debent abstinere, & in eo statu consecrantes peccant mortaliter. §. *Imo*, hic, c. *fin.* de *Cleric. excomm. c. fin.* & ibi not. de *Cohabit. Cler. & Mulier.*

Quò ad Quartum. Hoc Sacramentum à solis Sacerdotibus exhiberi potest. §. *Sed nec*, hoc tit. cap. *Pervenit*, de *Consecr. d. 2.* Excepto casu necessitatis, in quo Diaconus, præsentem Presbytero, id facere potest. §. *Permissit*, hoc tit. cap. *Præsentem*, cap. *Diaconus*, d. 93. Sed utrum Sacerdos, qui non potest celebrare, possit Hostiam jam consecratam sumere? Et quid si sit præsentem Diaconus? vide meas Decisiones de *Eucharistia*, in quibus *Decis. 29.* affirmativa opinio tenetur; & alia curiosa dubia proponuntur.

Quò ad Quintum. Hoc Sacramentum exhibetur his, qui habent plenitudinem iudicii, aut saltem cognitionem boni mali. Illis autem, qui erant Histriones hoc Sacramentum denegabatur, ut est text. in §. *Item*, hic, c. *Pro dilectione*, de *Consecr. d. 2.* Cæterum quilibet fidelis saltem semel in anno hoc Sacramentum suscipere debet, & ei est exhibendum. §. *Et quidem*, hoc tit. cap. *Omnis*, de *Penit. & remiss. §. Privata*, hoc tit. & *Concil. Trident. can. 9. de Sacram. Euchar. Sacram. sess. 13.* Sacerdotes verò quotidie, sed semel tantum, excepto Die Nativitatis Domini. §. *Invaluit*, h. r. c. *Te referente*, de *Celebr. Miss.* Sed tamen non puto de Necessitate, ut Sacer-

dos quotidie celebret, maxime si habeat causam; sed tamen hic usus maxime commendatur per *Conc. Trid. sess. 22. c. 2.* Excipitur etiam casus necessitatis d. §. *Invaluit*, ut puta si Parochianus infirmum vellet communicare, nec esset reservata Eucharistia in prima Missa; ita exemplificat ibi *Gloss.* in verb. *necessitas*. Porro an Parochus non jejunus possit celebrare, & consecrare ad communicandum moribundum? Vide meas Decisiones de *Eucharistia Decis. 3. num. 7.* ubi rationes, & *DD.* pro utraque opinione.

Quò ad Postremum. Virtus hujus Sacramenti est Charitas, & unitas; nam quemadmodum ex multis granis unus fit Panis, & ex pluribus racemis unum Vinum; ita & nos per hoc Charitatis Sacramentum Christo incorporati unum evadimus. §. *Virtus*, hoc t. c. *Quia passus*, & c. *Hoc Sacramentum*, & c. *Corpus*, Cum plurib. seqq. de *Consecr. d. 2.* Et propterea multi, & uberrimi fructus pro animabus resultant, ut cap. 5. de *Sacram. Euchar. Sacramento*, sess. 13. in *Tridentin. Concilio*,

TIT. VII.

De extrema Unctione.

Actum est de quarta specie Sacramentorum, nunc de quinta differitur, & pro explanatione videbimus:

1. Quid sit Sacramentum Extremae Unctionis?
2. Quot species?
3. Ex quibus constat?
4. A quibus extrema Unctio exhibenda?
5. Quibus?
6. Ad quid?

Quò ad Primum. Extremæ Unctionis Sacramentum, quod proprie, vereque Sacramentum existit, à Christo Domino Nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, *can. 1. de Sacram. Extr. Unct. sess. 14. Conc. Tridentin.* potest in hunc modum describi: Ut sit illud Sacramentum, quod tunc explicatur, cum in ultimo vita discrimine ob adversam valetudinem constituti Oleo Sancto inunguntur, & deliniuntur. Et dicitur Unctio Extrema, quoniam his solis confertur, qui in ultimo vitæ periculo sunt. §. *Sciendum*, §. *Hæc*, hoc tit. c. *Unctio*, de *Sacra Unct.*

Quò ad Secundum. Duæ Unctiones species existunt, Exterior, & Interior. Prima materialis, & visibilis existit. Secunda spiritualis est, & invisibilis. Exteriore enim visibiliter corpus ungitur; Interiore invisibiliter cor. §. *Sunt enim*, hic, concord. c. *Unctio*, in *Princ. de Sacra Unct.*

Quò ad Tertium. Hoc Sacramentum secundum Tolosanum in hoc tractatu *Synagm. Jur. lib. 2. cap. 7. num. 3.* Ex forma, & materia consistit. Materia est oleum olivarum, ut per *Arch. latè in Summ. h. r. Vers. Materia*, quod ab Episcopo est benedictum. Forma vero in Verbis consistit, quæ à Ministro exprimuntur, dum officium extremæ Unctionis explicatur, *d. c. 1. sess. 14. Concil. Trid.*

Quò ad Quartum. Hoc Sacramentum à Sacerdotibus, & Presbyteris confertur, prout & dictum est de Sacramento Eucharistia. Itaut non possint alii inferiores Clerici hoc Sacramentum conferre, *d. §. Sciendum*, cap. 3. d. sess. 14. De Ministro hujus Sacramenti, & tempore quo dari debet, c. *Qualisvis*, De *Verb. Signif.* Quò ad Quintum, Hoc Sacramentum, ut dixi,